ILLVSTRISSIMO PRINCIPI D. D. LVDOVICO A LOTHARINGIA
REVERENDISSIMO RHEMENSI ARCHIEPISCOPO, DVCI, PRIMO
FRANCIÆ PARI, SANCTISSIMÆ SEDIS APOSTOLICÆ LEGATO NATO, &c.

INTER alacres plausus & faustas acclamationes (ILLVSTRISSIME PRINCEPS) *quibus Galliarum satio exterarumq; gentium orbis vniuersus* LVDOVICO REGI *Christianissimo* ANNAM *serenissimam principem, Hispaniensem heroinam filiam* PHILIPPI III. *Hispaniarum Regis Catholici Desponsatam gratulantur, per varia ludira, cum Græcis Olympijs πρατεπελικοῖς, Isthmijs & Nemeis τελεπελικοῖς & Pythijs ὀντεπελικοῖς, tum Romanis palæstris, Amphitheatris & Circis præstantiora: Muneris quod nuper in Circo Hippocratico edideram, in mente redintegrationem volutabam, beatus bono & felici* NVMINE *Illustrissimi Principis* A GVYSIA DVCIS *potentissimi fratris tui, quo metas incolumis fueram consequutus, cum me tanti beneficij memoria eò illexit, vt deintegrò ad præsidium hoc tuæ Illustrissimæ Gentis præsentissimum confugerem, & ad tui stemmatis inclyti splendorem in Circo illo Hippocratico expeterem dimicare; sanctiori religionis cultu, quàm Romani in Theatris Venerem, in Gymnasiis Mineruam, in Circis Dioscuros, in Arenis Dianam, Saturnim & Martem pro felici victoria fuerunt venerati. Nempe tuum illud* NOMEN *mihi speraui tantum* NVMEN *vt eius Auspicijs sine discrimine, sine negotio, ad metam huius Circi possim peruenire tutior, securior quàm Argonautæ illi in fabulis Columbâ Phinei per Symplegadas ad vellus aureum in Colchida tranatarunt, Vlysses Homericus velo Matutæ ad Alcinoi Pheacum Regis portum, Theseus Gnosio filo Athenas remearunt. cum illius splendor adeo Diuinus sit, vt Castoris & Pollucis qui tam felices olin equitibus in Circo Romano; Præsertim* PRINCIPIS *quem natiuitas ad Ecclesiæ solium sublime extulit, in Cardinalium ordinem cooptauit;* PRINCIPIS *qui eruditione, virtutibus, pietate, religione, vitæ totius ordine & compositione passibus æquis assequitur & longo anteit interuallo Maiores suos Cardinales à Lotharingia, à Guysia stirpe oriundos, qui suo luminis ostro rutilante Sanctissimum Ecclesiæ Senatum, Romam, Christianorum orbem vniuersum longè latèque illustrarunt,* PRINCIPIS *qui* PAR FRANCIÆ *meritissimus tanto studio, consilio, fortitudine, res Galliarum domi forisque gerit, vt in eo illi magni & magni animi duces cum à Lotharingia tum à Guysia reuiuiscere videantur ἐξ ἀγαθῶν ἀγαθοὶ fortes creantur fortibus & bonis. Castores in eidylio Siculi vatis ἀνδοί τε κρατέοντε καὶ ἐκ κρατέοντος ἔφυσαν. Velis igitur iubeas* (PRINCEPS ILLVSVRISSIME) *Munus hoc meum ad tuæ* DIGNITATIS *edatur solem, cognitionis & iurisdictionis res sit tuæ vt Prætoris, cognosce, ius dicito & huic muneris editioni tui* NOMINIS *inclyta stemmata tuitionis gratia præfigito. Me autem, non meâ sed Parentis tuæ Illustrissimæ Gentis Medici, causa adsignatum seruulum patere (quæso) claris obseruantiæ tuæ titulis fieri posthac insignem: Ita ἀπόλλων ἰνδὸς καὶ ἀσκληπιός καὶ ὑγεία καὶ πανάκεια καὶ οἱ ἰατρῶν θεοὶ πάντες tuam æternùm sospitent salutem. Vale.*

Tuæ Illustrissimæ genti ex nexu Patris addictissimum seruitium GEORGIVS CORNVTY.

AD CARDINALITIAM

QVÆSTIO MEDICA.

MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM

DIE IOVIS XII. APRILIS, MAGISTRO GVILLELMO LESCAILLON
DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An impura corpora quò magis nutries, eò magis lædes?

CONTRARIARVM in generabilibus qualitatũ actio passióq; mutua, & reciproca, quæ corporũ mixtionis, eadẽ & dissolutionis, διαλύσεως, est author. Hæc in viuentibus adeóq; in animãtibus valde præceps, vt quorũ qui solus in actum emersit actuosus est calor, & substãtia admodũ tenui, varia in munia officiorum animæ dissipabilis. Sic eadem quæ largitur vitam vis adimit: fouet tamen ac retinet quandiu potest, & quãtùm de suo effluxit quod vitæ decessit, tãtùm ex ingesto ac sibi substituto pabulo, in quod se induat, & quasi lumen accendat, aptum suis operibus optimum quoddam adciscit ζωτικὸν ζωτικοῦ. Dos ea est viuendi propria. Neque enim aliud viuere quàm nutriri est: nec alia vitalis quam nutrix facultas existit. Et pabulum quidem illud animantibus commune omnibus, in spiritu consistit & nutricatu, quorum neuter, aut nostræ, aut reliquorum animantium naturæ adeo affinis esse potest, quin dissimilitudine aliqua teneatur, in qua exuenda frangitur natiuus calor dum laborat, & iniquo sibi substituto humido, sic sensim debilitatur, vt animæ muneribus impar, eam tandem deficiat atque derelinquat.

HINC QVÆ experientia satis patet moriendi demonstrata sufficienter necessitas, hortorum quidem medicamine nullo, sed neque auro illo sycophantis frustra iactato χυμικῷ vel σοφιστικῷ potius, si arte parabile esset reprimenda. Solis ea inquam alimentis retardari potest; aliàs septimo die quasi δίαυλον naturâ decurrente affutura: scilicet quòd ea periodus hominũ & vniuersi procreationis fuerit, vnde adeo fit, vt vitæ quoque prorogatio, dierum & annorum septenarijs, quasi gradibus quibusdam, quos κλιμακτηρικούς vocant, distincta progrediatur. Neque vero effluuij tantum illius reparandi à causa alimẽti necessitas incumbit, sed κατ᾽ αὐτὸ τὸ ζῆν; illius ipsius actionis per quam & propter quam vita existit, videlicet nutritionis: proptereáq; vt medicinæ sic hominum salutis osores censendi sunt Erasistratei, qui ἐνδείᾳ inedia longa deteri posse putant, sola reuera venæ sectione ex Hippocratis edicto exoluendam, vt corpus quanquam succo iam turgens nimio, rursum initium sumat nutriendi sui; hoc est actus & opera vitæ edendi τοῦ ζῆν καὶ τὸ φύειν.

IAM verò cum nihil ex aliquo toto neque gignatur, neq; alatur, vt sordidatum relinqueretur corpus necesse foret, nisi coctricem omnem vim valida expultrice natura cumulasset; cuius præterea defectum purgantia supplent medicamenta, certis & humoribus, & partibus, proprietate dicata, ætati puerili magis quam cæteris debita, materiæq; mitificatę, nec impetu ruenti impendenda. Facultas igitur expellendi si cessat, deest simul commemoratum illud aptissimum naturæ operibus pabulum optimum, quale ne tum quidem suppeditauerint alimenta laudatissimi succi, cócoctu ac distributu facillimi; vt quæ primarię impuritatis contagio corrumpantur: ac tum ad naturæ legem ἐκ διακρίσεως agentis, perfectæ reparationis nesciæ, necessitatis vis τῇ συγκρίσει adiungitur, per quam incubante morborum cohorte μοῖραν βίου de nomine obtinentium, moriendi fatum vehementer acceleratur.

AC ILLA quidem impuritas, vel biliosi humoris existit, qui morbos non nisi asperos; vel atri, qui plęrumq; mites; vel deniq; pituitosi, qui vel omnium breuissymos producit: & quidem vel in prima corporis periodo, quæ vomitionibus magis & deiectionibus; vel in secunda, quæ venæ sectionibus; vel deníq; in tertia, quæ sputo, saliua, muco, transpiratu, sudoribus, artificioso deniq; stillicidio expedienda. Aluina quidem impuritas ne lateat, deiecta appetentia, imò cibi fastidium & oris amaritudo impediunt; hancq; pręterea à cibis cephalalgia manet aut lienteria. Venosi autem generis, si quis edendo non proficiat, cacochymia declaratur. Habitus denique corporei, pruritus & ecthymata indicio sunt, quibus si vniuersitatis excrementa adsunt laudabilia, in phymatis, id est morbidis habenda non sunt, nec corpus alimento interdicunt: neque vero has corporis plagas varijs obrutas inquinamentis anima in somnis nescit, cum stellas, solem, lunam, totidem sigillatim respondentes periodis, igne, aqua, niue intercedentibus, aut obscurari aut retardari conspicit, medioue in cursu sisti.

QVOD si igitur alimentum impuro in corpore vt corrumpatur necesse est, consequens illud quoque est, vt copiosius exhibitum corruptio maior atque putredo consequatur. Itaque quibus spontanea lassitudo, aut alia eiusmodi morbos denunciant, illi sunt parciore victu ab eo discrimine vindicandi: sic etiam qui grauissimè ægrotant, parcissimè ac tenuissimè alendi: atque in morborum statu cum symptomatum summa sunt omnia, de demenso detrahere potiùs, quàm aliquid addere conuenit: Inque paroxysmis nihil omnino dare, & si alere necessitas vrget, desinentibus aut inchoantibus magis, quàm æstuantibus istud ipsum indulgere. Enimuerò vt in benè ordinato ægrotantium victu febres fiunt εὔτακτοι, quòd æqualia quæ ab eadem facultate alterantur alimenta, similia qualitate, & ęqualia quantitate pariunt excrementa, & eodem tractu temporis deponunt: sic ab immoderato & intempestiuo victu, non tantùm augentur paroxysmi, sed etiam geminantur; ita vt pro simplici tertiana, duplex, & pro duplici quartana, triplex exoriatur. De ijs autem qui à morbo non benè purgati releuantur, illud scire licet; quod cum nulla cacochymia à morbo superstes, coctionis sit particeps, nisi catharticorũ ope subleuari velint, per accessionem alimenti copiosioris, succrescente nouâ sorditie, quæ priori illi à morbo superstiti adiungitur, relabuntur.

Ergo impura corpora quò magis nutries, eò magis lædes.

Asserebat Lutetiæ GEORGIVS CORNVTY Parisiensis, Anno M. DC. XII.